Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2027

Quelle:
Copyright:

logicae iis ſimiles, quas titulo *Sententiae Divinitatis* inter *Dogmaticos* hoc *Vol.* recenſui. Ineunt vero: *Principium et cauſa omnium deus. ante omnia eternaliter. in omnibus inuariabiliter. & poſt omnia eſt interminabiliter. Vita uiuens in ſe antequam eſſent tempora* &c. Sequentes Rubricae ſunt: *De creatione mundi. De creatione angelorum. De libero arbitrio. De prelatione luciferi. De lapſu angelorum* &c. Rubricis non ubique expreſſis, neque ſervato ſtricto Doctrinarum nexu definitur in quaedam de Peccato originali Quaeſita, quibus adjectus eſt Locus *de VII. Donis Spiritus ſancti* et *de Viſione Dei.* Inceperat Librarius et Epiſtolam quandam ſubjicere inſcriptam *Venerabili abbati de ſancto laurentio* ab *A. ſanctę laudunenſis eccleſie filio,* et ineuntem: *Videndum eſt domine, ne illa quęſtio, que apud uos ſic agitatur, non in ſententia ſed in pugnis uerborum ſit* &c. Erat vero quaeſtio de conciliandis his Effatis: *Nou uult deus malum,* et: *Vult deus omnia, quę fiunt:* ſed haec e Codice excidit.

VII. *fol.* 67. *De laudibus eccleſie.* Ita Series Sermonum inſcribitur, ad quos breve Prooemium ita introducit: *Cum ſint multa et pene innumerabilia in diuinis uoluminibus, que ſponſam chriſti ſanctam eccleſiam ſignificant, quedam tamen ſunt, in quibus eius laudes et maiora ſacramenta manifeſtius et plenius contineri uidentur.* Tum innuit Paradiſum, Arcam *Noe,* Templum *Salomonis,* Mulierem Apocalypticam, Civitatem *Jeruſalem* &c. Sermo I. Incipit: *Scripſit moyſes in libro geneſeos quod plantauerat dominus deus paradiſum* &c. Ignoro Autorem, et Librario ſubiraſcor tam parum de eorum Nominibus ſolicito, quorum Opuſcula hoc Codice compegit.

VIII. *fol.* 96. *Alexandri regis magni macedonum et dindimi bragmanorum regis per literas pulcherrima collatio incipit.* Dixi de his alibi, ut Index docet. Ab *Alcuino Carolo M.* oblatae extant in ejus Edit. *Ratisb.* T. II. p. 600. et quidem exactae ad praeſentem Codicem, quem cum *Frobenio* editore communicaverat Vir in excutienda docta Antiquitate incredibilis ſolertiae et mihi, dum viveret, amiciſſimus *Mathias Rieberer Styrus* e Soc. Jeſu.

DCCCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 71. 4. minutius, ſed bene exaratus et rubricis diſtinctus *Honorii Auguſtodun. Gemma Animae* eſt, Compilatio liturgica jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 1261. et P. 3. *col.* 2858. a me relata, hic absque diviſione in IV. Libros et Capita decurrens, praeeunte *Epiſtola Fratrum ad Honorium,* ejus Reſponſo et Prologo, ut T. XX. *Bibl. PP. Lugd.* p. 1046. Juvat porro cum hac Editione Codicem noſtrum metiri. L. I. c. 8. ſiſtit in his verbis Codex *fol.* 10. *iudicis ira placetur.* Progrediuntur Edita uſque ad Libri finem Capitibus U. 679